

rationes suas et concessionem nostram, sed integre quemadmodum et quemadmodum ex dictis civitatibus et oppidis provenire solet, hoc anno ad necessitatem reipublicae exsolvant.

[17]. Quare vobis omnibus et singulis suprascriptis mandamus, ut pro tempore seu rata superius expressa in manus praefati exactoris nostri easdem contributiones secundum quod ad unumquemque pertinet modo praemisso exsolvere curetis. Vos vero exactores diligenter et fideliter illas colligatis et pro rata superius designata colligere non negligatis. Eos vero, qui in solvendo negligentes fuerint, locorum capitaneis deferatis. Vobis etiam capitaneis, quorum interest, mandamus, ut easdem contributiones superius expressas in locis civitatibus et oppidis capitaneatus vestri proclamari et publicari faciatis et ad manus praefati exactoris pro rata superius expressa sub poenis ad hoc constitutis exsolvi, ad necessitatem reipublicae nostro nomine mandatis absque cuiusvis morae et dilationis interventu. Negligentes autem in solvendo et contumaces per pignorationes et alias poenas solitas ad solvendum easdem contributiones cogatis et compellatis sub poena centum marcarum pecuniae, quam capitanei negligentes executionem et pignorationes exsolvere in conventu generali proxime celebrando tenebuntur et quisque eorum tenebitur postquam delatus et convictus fuerit. Si vero contigerit quod exactor aliquam villam iniuste quasi contributionem non exsolvisset detulerit et capitaneus ad pignorationem mittendis quietationem apud eosdem colonos invenerit, extunc talis exactor poenam quatuordecim marcarum propterea succumbet. Quae capitaneo, quem frustra fatigavit, cedere debet, pro qua poena exactor citatus coram nobis vel iudicio terrestri respondere et satisfacere tenebitur.

[18]. Ne autem aliquis error in quietationibus exhibendis committatur, statuimus quod exactores in quietationibus diem, mensem et annum pro contributionem accepit diligenter annotent et in registra sua referant, similiter etiam diem, qua negligentes et non solventes illas capitaneo detulit, in regestrum suum diligenter annotet, ne aliquis error et implicatio rerum accedere possit. Quietationes vero aliquas non debent exactores discernere sive lacerare vel ipsas ad se recipere, sed eas rursus iis, quis eas attulerunt restituere. Pro officio et debito suo, proque gratia nostra aliter non facturi.

Datum Cracoviae in comitiis generalibus feria quinta ante dominicam Iubilare, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio [12 IV 1543], regni nostri anno^s XXXVII^o. Ad mandatum Regiae^d Maiestatis proprium.

IV. ^aLITTERAE UNIVERSALES CONTRIBUTIONIS DUCILLORUM^a

Sigismundus etc. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus regni nostri senatoribus et consiliariis ceterisque subditis nostris quibuscunque tam terrestribus quam civitatum et oppidorum honoribus^b insignitis, ad quorum notitiam hae nostrae pervenerint litterae et praesertim palatinatu^c et districtibus eius consistentibus, sincere nobis et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Reverendissimi et reverendi in Christo patres, magnifici, generosi^d, nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles dilecti. Noveritis communi omnium consensu, tam spiritualium quam saecularium consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium in conventu generali Cracoviensi congregatorum, voto et concordii voluntate, exactionem ducillorum quae *czopowe* dicitur, multis et arduis necessitatibus reipublicae ita exigente decretam esse, quae inchoari debet a festo Pentecosten proximo [25 III 1543] et continuari per integrum annum ad aliud festum Pentecosten anni millesimi quingentesimi quadragesimi quarti [13 IV 1544]. Exigetur autem et exigi ac exsolvi debet eadem ipsa contributio ducillorum secundum antiquam consuetudinem modo videlicet infrascripto.

[1]. Ut quilibet cerevisiam coquens venalem ex quibuscunque braseis fuerit eadem ipsa

^s Brak MK₂. ^t Sacrae Regiae MK₂.

^{a-a} Tytuł ten pochodzi z MK₂, brak natomiast tytułu w MK₁. W MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 21063, s. 195 występuje tytuł: Litterae universales de modo, quo exigenda et contributio ducillorum in conventionem regni praesenti laudata.

^b honoribus et officiis MK₂. ^c Następuje okienko w MK₁ i MK₂. ^d generosi et MK₂.

cerevisia, hoc est sive ipsa brasea sunt civium et dominorum sive ex molendinis provenientia et emensurata sive domi facta, a quolibet vase singillatim vel coctura ipsius cerevisiae iuxta locorum consuetudinem aut^e hac observatam exactionem ipsam ducillorum in manus infrascriptis exactoribus fideliter solvat. Ita, ut maiori coctura alias *waru* plures grossi solvantur et a minori pauciores iuxta vasorum numerum et quantitatem et exactoris constitutionem, quam ubi opus est et quotiens expediens erit, nostra auctoritate faciet et constituet notariosque^f et custodes tam in civitatibus et oppidis quam etiam in villis iuxta arbitrium suum. Exactor etiam ipse deputabit et iuramento corporali ad fidelitatem illos astringet.

[2]. Ternarii vero vetusto more circa quemlibet grossum^g solvendi pro civitatum et oppidorum reparatione conserventur.

[3]. Tabernatores vero singuli cerevisiam coquentes a quolibet vase mensurae civilis per unum grossum alias iuxta antiquam consuetudinem coctam, vero a dominis, tam spiritualibus quam saecularibus ad propinandum recipientes, non secus, quam si advectitiam^h propinarent ratione, ipsius contributionis per sex grossos solvent.

[4]. Item a medio vase vini alias *pulkuphek*ⁱ florenus unus cum quadrantibus triginta solvendus.

[5]. Item a dreling sive Seremensi vase vini duo floreni cum sexaginta quadrantibus.

[6]. Item a minore vasa vini, quae *fodry*^j vocantur, per tres florenos cum nonaginta quadrantibus.

[7]. Item a quolibet barili malmatici, muscatele vel vini Italici unus *hort*^k cum septem ternariis solvatur.

[8]. A barili vero simplicis vini duo grossi solvantur cum duobus ternariis.

[9]. A cerevisia advectitia sive externa Svidnicensia, Glogouiensia, Thesinensia^l, Bernowiensia^m et alia quaecunque, a quolibet eius vase duo grossi solvanturⁿ.

[10]. Et quicunque prius non soluta exactione praefata cerevisiam, vinum, medonem, malmaticum et alium quemcunque potum ex praedictis vendere et propinare in fraudem reipublicae praesumpserit, totum illud in quo fraudem commisit seu committere voluit, irremissibiliter amittet et ad poenam regalem solvendam, quoties id fecerit, obligabitur. Capitaneusque loci in tales omnes et singulos fraudem eiusmodi committentes animadversionem debitam, veritate rei cognita, non habendo respectum ad quempiam irremissibiliter exequatur.

[11]. Ad quam quidem exactionem colligendam diligenter et fideliter exigendam in ipso palatinatu seu terra^o et districtibus eius generosum^p constituimus. Vobisque omnibus et singulis, quorum interest, mandamus quatinus praefato exactori sive ab eo substituto de ipsa exactione ducillorum respondeatis et respondere faciatis. Vos vero locorum capitanei eos, qui rebelles et negligentes erunt et quos ipse exactor deferet, per pignorationes solitas ad solutionem huiusmodi exactionis compellatis, sub poenis nostris contra negligentes capitaneis in novis et antiquis statutis descriptis. Et pro gratia nostra aliter non facturi.

Datum ut supra^q. ^rAd mandatum Regiae Maiestatis proprium^r.

^e ante MK₂. ^f *W MK₂ pisarz napisal, a potem skreślił*: iuramento corporale. ^g grossorum MK₂. ^h *W MK₁ i MK₂*: advectinam. ⁱ *polkuffek MK₂*. ^j *fodry MK₂*. ^k *orteh MK₂*. ^l Thessinensia MK₂. ^m Bernouiensia MK₂. ⁿ *W MK₂ pisarz napisal, a potem skreślił*: cum duobus ternariis. ^o *W MK₁ i MK₂ następuje okienko*. ^p *W MK₁ i MK₂ następuje okienko. W MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 21069, s. 195 czytamy*: Nomina exactorum Minoris Poloniae: Cracoviensis — Achatius Jordan; Sandomiriensis, Vislicensis et Pilznensis — Chiliczki iudex Novae Civitatis; Radomiensis, Chanczinensis, Opoczniensis — Paulus Gawonski; Lublinensis — Andreas Lassota; Lukoviensis — Mathias Iwanowski; Belzensis et Chelmensis — Ioannes Gorski; terrarum Russiae — Nicolaus Derssnyak; Podoliae — Andreas Czermiński. ^q *W miejsce*: ut supra *w MK₂*: Cracoviae in conventionione generali feria quinta ante dominicam lubilate anno ut supra [12 IV 1543]. ^r *Brak w MK₂*.